

Epistolae Pelagianorum sibi delatas, ei ad respondendum missas; aut responsum eius quatuor Libris editam probabiliter, & honorabiliter suscepisset.

Sancti Prudentii observationi robur addit libera Censoris nostri confessio, qua Augustinum gratuita predestinationis, gratiaque se ipsa victicis theorematibus duo, indeque fluentia dogmata, primis adversus Pelagianos operibus defendisse profiteretur: idque antea Bonifacio innovasse, quam binas illi Juliani, ceterorumque Scriptorum Epistolae transmississet. Eo quippe semel posito, dicat, amabo, Launojus, qua ratione rerum omnium conficius Pontifex, viro portentosorum, ut ipse quidem autumat, opinionum manifesto, & periculofum in confutando Pelagiano errore iter ingreffo, novos eorumdem Pelagianorum conatus reprimendi provinciam, honoris, & gloria plenissimam, demandasset? Forte, ut Ecclesiam patenti discrimini committeret, erroremque extremi erroris oppositum confutaret?

Certe quam haecenus in oppugnandis Pelagianis viam ingressus fuerat Augustinus, eandem in confutandis binis eorumdem Epistolis tenuisse; statutaque jam pridem gemina predestinationis & gratiae dogmata, aliaque inde secuta; pari constantia defendisse, quatuor Libris Bonifacio nuncupatis, non ibi Launojus inficias. Una quippe eademque doctrina ratio conspicitur, iidem divini electionis, & gratiae exponenda modi, imo longe quam antea luculentiores. Sic libro 1. capite 19. Dic mihi, obsecro, quid boni Paulus, ad huc Saulus volebat, ac non potius magna mala, quando spirans eodem, pergebat ad vastandos, horrenda mentis caecitate ac furore, Christianos? Quibus meritis bona voluntatis, Deus illum ab his malis ad bona, mirabili, & repentina vocatione convertit? Quid ego dicam, quibus meritis, cum ipse clamet: non ex operibus iustitiae, quae nos fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit? Quam multi inimici Christi quotidie subito Dei occulta gratia trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Evangelio posuisset, quanta de me propter hoc ipse dixisset; cum etiam nunc oblectetur, non mihi, sed illi, qui clamat: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum? Non enim ait: duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus procedere voluntatem. Quis trahitur si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.

Sic capite 20. Estheris ad Deum prece ex facris litteris recensita, ita colligit: Ut quid ista in oratione dicit Deo, si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? qui cor Regis, antequam mulieris poscentis sermonem audisset, occultissima, & efficacissima potestate convertit, & transiit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, a voluntate ledendi, ad voluntatem servandi, secundum illud Apostoli: Deus operatur in vobis & velle. Et post pauca. Jam quomodo ista dispenset, faciens alios secundum meritum vasa irae, alios secundum gratiam vasa misericordiae: Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Si ergo ad honorem gratiae pervenimus, non simus ingrati, retribuendo nobis, quod accepimus. Quid enim habemus quod non accepimus?

Sic libro 2. cap. 5. Nec sub nomine gratiae factum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedere. Si autem quibusdam, omnipotentis Dei voluntatem placet, facti nomine nuncupare, prophanas quidem verborum novitates evita-

mus, sed de verbis contendere non amamus. Quod quidem integris duobus capitibus erudite, & elegantiter prosequitur.

Sic capite 7. ejusdem Libri, tritam Pelagianorum calumniam de personarum acceptione, in gratuita vocationis hypothesi, ab Launojo tam avide instauratam resellit. Quocirca id observatione dignissimum habet: Propter quod profecto desipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, vos dicitis, ex futuris operibus, quae Deus illum facturum esse presciebat, Jacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo dicenti, non ex operibus: quasi non posset dicere, non ex presentibus, sed futuris operibus. Sed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret: si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Praecedat namque, non debita sed gratuita gratia, ut per illam fiant bona opera: ne si praecesserint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia jam non sit gratia. Et capite 9. Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo: nulla vero facit homo, quae non facit Deus, ut faciat homo.

Sic demum libro 4. capite 6. Bonum, inquit, propositum, quod consequens adjuvat gratia, in homine non esse posse, si non praecederet gratia. Quomodo enim est hominis bonum propositum, sine miserante prius Domino: cum ipsa sit bona voluntas, quae preparatur a Domino? Reluctanti enim prius auditis divinae vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illa jam non reluctante studium virtutis accenditur. Veruntamen in omnibus, quae quisque agit secundum Deum, misericordia eius praevient eum. Et capite 9. varia congerens Divi Cypriani testimonia, istud inter alia celeberrimum ponit, ex libro 3. ad Quirinum cap. 4. In nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit. Quam loquendi formulam ab Augustino alibi saepius usurpatam, blasphemice loco habet audacissimus Aristarchus. Tum laudato Sanctissimi Martiris, de orandi necessitate, discretissimo testimonio, ita colligit: Oramus ergo, non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, & oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est: preparatur voluntas a Domino?

Augustinum igitur statuti pridem doctrinae principis, quae Launojo nostrum adeo male habent, non habuisse modo, verum etiam vires adhaerere, eademque luculentum multo confirmasse, quatuor illis Libris Bonifacio inscriptis, comperita res est. Insuper Sanctissimum Doctorem, suam illud opus eidem Pontifici maximo, si quid in eo forte peccasset, emendandum corrigendumque tradidisse, aequo certum. Haec, inquit ille capite 1. prioris Libri, quae istis, ut dixi, duobus Epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam dissona, quam examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constituit. Aut ergo contentam nova illa lucubratione doctrinam, puram illibatam, quae Bonifacio agnovit, aut aequi altimatoris, ac iudicis partibus desuit; qui ab Augustini zelum, si Launojo fides est, laesisset, ut in novatorem sententiam diceret, imo & ab ipsomet reo, de ferendo, si quid forte peccasset, iudicio appellatus, nedum a ferenda sententia temperavit, sed & ipsos praecipites accusatores actione submovit, calumniatoribus, haereticisque accensit, Apostolicis Regiisque Edictis coercuit ac fregit: Augustinum vero insulsi calumniae appetitum coluit, suspexit, suam totiusque Ecclesiae linguam esse voluit, qua in gratiae hostes oracula funderet.

ret. Sanctae memoriae Papa Bonifacii piissimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiae Dei, non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur Edictis; & quando idem, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum, Beati Augustini Episcopi responsa poscebat. Divi Prosperi verba sunt, capite 21. contra Collatorem.

CAPUT V.

Launoji, de commoto statim in Augustinum Orbe Catholico, somnium dissipatur.

JAM quam audacter Orbem universum, (Pag. 25.) Augustinianae doctrinae asperitate, commotum dicitur commentitiae Traditionis fabricator, quam temere non haereticos modo, sed & ipsos quoque Catholicos, ne latius ferperet, pari studio aditantes obrudat, ex Hieronymo praeteris discimus: illo inquam, ut loquitur Prosper, (Carin. de Ingr.) Morum exemplo, mundique Magistro. Is enim cum primis in aciem adversus Pelagium, ac Caesarium descendisset, jamque elegantem ad Cresiphontem Epistolam, tresque Dialogorum Libros elaborasset; simulatque primos Augustini pro gratia tuenda labores infexit, ternos scilicet ad Marcellinum Libros de Peccatorum meritis & remissione, alterumque ad Hilarium, in modum Epistolae, (Epist. 89.) de Quaestionibus apud Syracusas agitatis; doctrinae ubertatem, momenta rationum, pondera sententiarum, ac prope divinum ingenium demiratus, proluxori huius argumenti tractatione superedit, seque ad mortem usque silentio damnavit; modesta quidem, at interim vera excusatione usus, sub finem Libri 3. Dialogorum: Superfendum huic labori confiteor, ne dicatur mihi illud Horatii: in Sylvam ne ligna feras. Aut enim eadem dicentem ex superbo; aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora. Et quidem tanta deinceps religione silentium coluit Hieronymus, ut a Theodoro Mopsuesteno quinque Libris laesisset, tum aliis quatuor ab ipso Pelagio, postremo ab Anniano pseudo-Diacono Celedensi provocatus, non modo stylo pepercerit, sed Augustinum etiam per litteras rogarit, ut contra eorum victicicia arma, in sui defensionem indueret. (Epist. 24.) Porro Libris illis de peccatorum meritis, & remissione, quibus inspectis pedem ex acie retulit Hieronymus, totumque belli onus devolvit in Augustinum, haec ipsa, quae Launojo nostro erroris plena videntur, dogmata contineri, dedimus manifestum: ut hinc noverit, (Cap. 3.) quo plausu ab Ecclesiae Patribus exciperentur, quae non nisi Pelagianorum dicerentur, & calumniis petebantur.

Tam apertam comprobatae Augustini doctrinae testificationem confirmat in Epistolis Bethleemiticis Pater: Mihi decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Epistola 78. eidem ipsi inscripta verba sunt, Epistola vero 80. non fuum tantum, sed & totius Catholici Orbis, de defenata adversus Pelagianos doctrina, iudicium prodit. Omni quidem tempore, Beatitudinem tuam eo, quo decet honore, veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem: & nunc, si fieri potest, aliquid cumulo addimus, & plene complemus, ut absque tui nominis mentione, ne unam quidem horam praeteream passimur, qui contra flantes ventos ardore fidei persististi. Maluisti, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis; quam cum peruenimus commorari. Sic quid dicam prudentia tua. Maeste virtutis Serry Tom. V.

te, in Orbe celebraris, Catholicis te conditorem antiquae rursus fidei venerantur, atque suspiciunt: & quod signum majoris gloriae est, omnes haeretici detestantur.

(Pag. 25.) Itane, Launoj, in Pelagianos arma conferens Augustinus, extremos de divina gratia, ac praedestinatione procedit errores; Orbem universum doctrinae asperitate, ac novitate commovit; omnesque non haereticos tantum, verum etiam Catholicos passus est adversarios? Cuius dicta mundi Magister defendebat ut sua, quem Orbis Catholicus celebrabat, antiquae fidei conditorem suspiciebat; quique nominis claritate, ac defenatae fidei gloria, unius in se haereticae factionis odia incendebat.

Sed praestat Sanctissimum senem, & emeritae militiae ducem, reportatos de Pelagianis triumphos, Augustino toto Orbe celebri gratulantem audire, Epistola 81. Mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestrae Reverentiae; restem invocans Deum, quod si posset fieri, assumptis alis columbae, vestris amplexibus implicar; semper quidem pro merito virtutum vestrarum; sed nunc maxime, quia cooperatores, & auctores vobis, haerese Caesariana jugulata est, quae in infecto corda multorum, ut cum superatos damnatosque se esse sentiant, tamen venena mentium non omittant; & quod solum possunt, non oderint, per quos putant se libertatem docendae haerese perdidisse. Ita scilicet inconculti, si penes pseudo-Traditionis Auctorem iudicium est, haereseo oppugnatore victorias celebrat Hieronymus: viroque ob procosus, si super placet, imprudenter errores, adversa Catholici Orbis studia passio, triumphum integram gratulatur.

Hieronymo succinit Theodosius Imperator, omnium gentium de triumphato Pelagianismo, deque Libris, quos Orbem universum admiratione suspenderat, continuatis, acclamationes ingeminans, hac ipsa Epistola, qua Sanctissimum Praesulem ad Concilium Ephesinum invitabat: tamen si antea excessisset e vita, quam Imperatoris facram divalem acciperet. Pulcherrimo librorum tuorum, potestas tibi data ad predicandum Dei verbum, & fructus universam per Ecclesiam a te facti, causa fuerunt, ut nominis ubique gentium. Deo gratias (qui temporibus adeo calamitosi, nobis labores videns ex alto, tantum concessit Ecclesiae Doctorem) ago, cum omni humilitate, quantum in me est, ob obligationem quae incumbit mihi defendendae ipsius Ecclesiae. . . . Haeretici etiam Pelagiani, per Sancta Concilia condemnati, ex doctissimis tuis libris contra ipsos conscriptis, adhuc cervicem conantur erigere, & ipsi Deo resistere. . . . Te igitur, qui omnibus in rebus lux es totius mundi, & praeterea admiratio terrorque haereticorum, qui ante te non audent apparere, maximo opere rogamus, ut Urbi Epheeso, ad quam Concilium convocatum est, interesse velis: & possis dicere, reliquum vitae consumptum esse, sicut & praeteritum, in gloria & honore Domini Dei nostri. . . . Eubagius Magister ad te profectus est: ipse alia dicit, quibus petitioni nostrae magis annuus, ob totius Ecclesiae bonum. Haec sacratissimus Imperator.

Haud incius sum, visis nonnullis eruditus minus integrum videri harum Epistolarum exemplum, quo nonnulla conditioni temporum minus consentanea continentur. Nemo tamen ibi inficias, Augustinum ad Synodum Ephesinam ad Theodosio sacris divalibus invitatum, honoris gratia: quas Capreolus Charchaginesium Antistes, illo ad superos vocato, legit, ut ipsemet in Epistolam ad eandem Synodum profiteretur. Domini & filii nostri religiosissimi Theodosii Imperatoris litterae. . . . huiusmodi erant, quae beato memoriae Fra-

aris & Coepiscopi nostri Augustini presentiam peculiari ratione efflagitabant. Verum cum ea letiora illum jam tum e vris excessisse comperissent, ego Regiam illam significationem, licet ad praedictum Augustinum praecipue destinata videretur excipiens, (apud Labb. Tom. 3. pag. 1074.) &c. Quod idem apud Liberatum legere est, cap. 5. Breviarium.

Alios longe multos ejusdem aevi (de sequentibus quippe nil dicam hic) Augustinianae doctrinae admiratores, laudatores, approbatores producere facile fuerit: Hilarium Syracusanum, Jacobum, Timotheum, Valerium, Laurentium, Privinum, Paulinum, Eutropium, Orosium, Nebridium, Alipium, Possidium, Evodium, Conserentium, Volufianum, Audacem; totos in ejus praerogativa effusos, & Catholici Orbis sensum, de incorrupta dogmatum integritate, referentes, (Pag. 35.) Verum quia eos Augustini, ad diffundendam tota Africa, gratia se ipsa victricis, & gratuita praedestinationis doctrinam, adimplatores Launojus ultra concedit, ab eorum suffragiis referendis abstinere. Hoc dico tantum, Launojum ex iis, quae haec dicta sunt, ingentis audaciae, ac petulantiae revinci; dum tot illos Africanam Ecclesiam Sanctissimos, ac doctissimos viros, uti (Pag. 34. & 35.) factissimos tradidit; qui facta veluti secta, in Magistri sui sententiam, horridam licet ac novam, concessissent, quod nulla Ecclesiae Censura iniusta esset. Vah procacem argutorem! Quasi vero quotquot Catholico nomine censentur, ab Augustino, Conciliorum ore ingenioque, non starent: aut doctrinam ejus, Ecclesiae Romanae Pontifices, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, habitaque Milevi, & Carthagine Synodi tantum non inessent, ac non potius singulari commendatione consecrassent.

Sane eam sibi illibatae doctrinae famam, universo Orbe, ac tota praesertim Africa fecerat Augustinus, ut summa licet estimatione valerent Aurelius, Carthagenusum Antistes, Africae Primas, Ecclesiaeque Catholicae, ut loquitur Orosius in Apologetico, columna, ac firmamentum; praesente nihilominus Carthagine Augustino, sacrum suggestum nolle de more confendere, sed unus Hipponensis Antistes ad populum declamaret. Quem sibi non Carthagine modo, ac semel iterumque, sed ubique, ac frequentissime delatum honorem, testatur vir aliquo modo modestissimus in Prologo prioris Libri Retractionum: *Tantum mihi tributum est, ut ubicumque me praesente, loqui opus esset ad populum, varissime tacere, atque alias audire permittere.* Quin & constitutus in Africa, Orientis conventibus aderat magisterio, unumque ferme in gratia hostes, absens licet sententiam dabat. Accersitus enim Pelagius, in Coaestum Hierosolymitanum, a quo procul aberat Augustinus, ut fidei suae rationem redderet, id unum legitur interrogatus, doceretne ea, quae Augustinus in Epistola ad Hilarium confutaverat? Adeo nempe ad Sancti Doctoris amissum, rectae de divina gratia sententiae, ab ipsis etiam Orientalibus exigebantur. Cumque ille, ut erat impudentissimus, & tam subinfenso in Augustinum animo, responderet: *Ecquis est mihi Augustinus?* uno ore conclamarunt universi, blasphemasse in Episcopum, cujus industria haereticum monstris suffocatis, toti Africae expetite diu pacis dies effulserat; ac tanquam haereticum pellendum ab Ecclesia Catholica censuerunt. De quibus lege Orosium, qui praesens confessui aderat, in Apologetico. Nec ita post, alterum vadimonium obeunti Pelagio, & coram Diofopolitanae Synodi Patribus sistere jussu, ut accusationum capita dilueret, unus illi, ex Synodi Decreto, Augustini procul distri liber objectus est, quo tumultuantes in Si-

cilia Pelagianos represserat. (Lib. de Pecc. Orig. c. 11.) Synodus dixit: *... quoniam Sanctus Augustinus Episcopus, adversus discipulos ejus in Scythia respondit Hilario, ad subjecta Capitula scribens librum &c.* Certe Patrum alteri, tantam dum viveret, tributam auctoritatem, nulla, quod sciam, prodiit historia; nemo uberior gloriae fructus, in ipso mortalitatis contubernio cepit; unus praeter omnibus Augustinus, vivus, ut ita dicam, ac videns consecratus est.

CAPUT VI.

Mota inter Monachos Adrumetinos de Augustini Doctrina controversa, non modo ejusdem auctoritatem non imminuit, ut Launojus visum est, verum etiam conciliant multo majorem. De Vitali Carthaginiensi fabula refellitur.

Pelagianis Augustinianae doctrinae acerbitate commotis, turbatos Adrumetinos Monachos Launojus adjungit, quo fidem ejus, & auctoritatem imminuat. (Pag. 26.) *Monachi Adrumetini, inquit, (quos nemo hac in parte suspectos habuerit, cum bonum conscientiam recti mentem agnovissent Augustinus) usque adeo doctrinae illius novitate, & inauditis consecratis turbati fuerit, ut duos suis delegarint, qui turbatos fratrum animos, & insulas dogmatum illius consecrationes, coram significarent.*

Quis id legit, ac non statim sibi persuadent, Monachos omnes Adrumetinos, quos inter non pauci erant eruditionis laude conspicui, lecta Augustini ad Sixtum Epistolam, 194. (hujus enim occasione exciti mortui) scandalum passos, insulas consecrarias derivasse? Verum longe aliter se res habet. Quamquam enim, ut opinari pium est, conscientia recti mens omnibus esset; neque idecirco sinistra voluntatis suspicione laboraret; ita tamen in factiones Monachi scindebantur, ut quotquot doctrinae fama celebres erant profundissimae Epistolae intelligentiam affecturi, ab Augustini partibus starent: ceteri profus ignari, & rusticissimi, iique vix numero feni, in contrarios, & ab Auctoris mente alienos sensus dilapsi, portentosas consecrationes derivarent. Quid ni ergo motas Adrumeti contentiones, Augustino gloriae cessisse colligamus; cujus in partes, quotquot eruditionis laude censentur, sua sponte descenderant, soli abcesserant imperiti?

Valentinum Cœnobiarum audire juvat, rem totam simpliciter enarrantem, & suum contententibus Monachis colorem, & ingenium reddentem, Epistola 216. Augustino inscripta. (Epistolam ad Sixtum, propter proximitatem librum appellat.) *Charissimus frater noster Florus, servus paternitatis tuae, cum ad Uzalensem patriam suisset, suadente caritate, profectus, Eulogias Monasterii inter suae Civitatis moras, de Opusculis nobis tuae attulit Sanctitatis, uno fratre Felice, qui ad tuam Sanctitatem tarde, post comites suos venisse dignoscitur, eundem librum devote diligente; Ventum est ad Monasterium cum eodem Libello, fratre Floro ad Carthagem, de Uzalensi Civitate profecto. Mihi non monstrato Libro, IMPERITIS FRATRIBUS recitare ceperunt, qui QUORUNDAM NON INTELLIGENTIUM corda commovis. Quia cum diceret Dominus, qui non manducaverit carnem filii hominis, neque biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso: discesserunt, qui impie intellexerunt, non culpa Domini dicentis, sed duritia impiissimi cordis. Proposui ad asserendas impias quaestiones, ut ad Dominum Sanctum Patrem Evodium miseremus, ut ipse nobis de hoc Sacrosancto Libro, PROPTER IGNAROS aliquid cor-*

certius rescripserit. Quinque enim vel amplius fratrum animositate ista est innata contentio. Sed quia interdum, Domine Pape, provenit gaudium ex tristitia, non adeo mestificamur, quia PER IGNAROS, ET CURIOSOS suavisissimis monitionibus tuae Sanctitatis illuminari meruimus. Deposimus ut, & ignaros suis orationibus Domina commendes mansuetissime componendas. Ita Cœnobiarum Valentinus. Sub initium autem Epistolae: PER RUSTICITATEM FRATRUM nostrorum nostro iudicio erubimus &c.

En tibi viros Augustinianae doctrinae asperitate turbatos, quorum acre iudicium in serenda sententia, Launojus ostentat: Quinos, aut senos, ut ut maxime Monachos, imperitos, ignaros, rusticos, curiosos, ac ne lecti quidem Libelli intelligentiam affectuos.

Verum quod Monachos attinet, in Augustini sententiam venientes, ii & auctoritate praecipui, & ingenio summi, & eruditione praestantes erant. Hos inter primo loco censendus Valentinus, Cœnobii Praepositus, piissimus, atque doctissimus, qui fratres ex Libelli lectione scandalum passos tam atris coloribus depingit; iisque perfimiles dicit, qui audito Christo, discesserant, non dicenti culpa, sed vicio audientium: Libellum autem ipsum, cujus occasione nata offensio fuerat, venerabilem, dulcissimum, sacrosanctum appellat: quin etiam ejusdem praecipue capita, ab imperitis perperam intellecta, in summam colligens, ac sano sensu accipiens, hoc credimus, inquit, docente te, venerabilis Pater. Censendus & eo numero Sabinus, Monasterii Praesbyter, litteris apprime eruditus, qui ad Cœnobiarum imperium, libelli sensum aperuit, tametsi nec profecerit hilum. Sanctum Praesbyterum Sabinum (laudat Epistola verba sunt) ad majorem auctoritatem rogavimus, & ipsius sanctitas librum cum liquidis interpretationibus legit, nec sic anima sauciata curata est. Adjungendus & Florus, qui Uzalam paulo ante profectus, libellum, dictante Felice Monacho, excrisperat, & Adrumetum, anrequam rediret ad suos, transmittendum curaverat. Is enim altissima divinae Praedestinationis, & gratiae Mysteria edoctus, procul ab imperitis Monachis abibat. Servi tui Flori haec fides est, Pater, non sicut fratres isti sunt locuti. Quod subinde facti rei periculo, per se se intellexit Augustinus ipse, dum eundem ad se vocatum, exactam libelli, seu datae ad Sixtum Epistolae intelligentiam tenere, frequentibus collationibus didicit, uti capite 1. de Correptione & gratia testatur reliquit: *Hanc fidem, quae sine dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: unde hi potius corrigendi sunt, quos quidem, propitius Deo, correctos esse jam existimo, qui eam non intelligebant.* Adjungendi, uno verbo dixerim, pene omnes, feni illis ad summum exceptis, intra quos tota, ut observavimus, steterat controversia.

Profecto, si quae fides Augustino, longe plures optimarum partium erant Adrumeti; ceteri offensionem ex ignorantia passii, pauculi admodum, iique magna ex parte juniores, maxime vero Cresconius, & Felix, qui praeter reliquos effervescentes, Sanctissimum Praesulem diffidia nunciaturi, reclamamque libelli intelligentiam accepturi conveniant. Venerunt ad nos, inquit ille dato ad Valentinum Responso Epistola 214. DUO JUVENES Cresconius, & Felix, de vestra Congregatione se esse dicentes, qui nobis reculerunt Monasterium vestrum nonnulla diffensione turbatum, eo quod QUIDAM in vobis sic gratiam praedicant, ut negent hominis esse liberum arbitrium: & quod est gravius, dicant, quod in die iudicii non sit redditurus Deus unicuique secundum opera ejus. (Hæc scilicet erant

impia consecraria, ex gratia se ipsa efficaci, & gratuita praedestinatione derivata.) Etiam hoc tam non indicaverunt, quod PLURES VESTRUM non ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus atque faciamus, ut cum venerit Dominus reddere unicuique secundum opera ejus, inveniat opera nostra bona, quae preparavit Deus, ut in illis ambulemus.

Quare non possum non indignari Launojo, qui ut omnes promiscue Adrumeti Monachos, in transversum actos, & Augustinianae doctrinae dritice offensos lectoribus innuat, decretam ad Augustinum, communi veluti suffragio, legationem oblique significat: cum contra, Valentinus Monasteriarum Cresconii & Felicis professionem inordinatam vociter; eamque, se quidem minus probante atque ferente, a juvenibus furore arreptis fateatur: *Nec hoc quidem patientius accipere voluerunt, sed arripuerunt professionem, nobis taliter non optatam, fratre Floro furore illorum propemodum turbato &c.*

Haec excitata Adrumeti diffidia, quae ad Augustinianae doctrinae invidiam malo animo verterat pseudo-Traditionis consecrator, eidem gloriae cessisse demonstravi, spectata diffidentium conditione. Adde nunc, quae auctoritatem illi concilient, ex selecti a Monachis arbitri dignitate, lataque sententia. Erat ea atque temporum in ore famae magnus Evodius, Sacrorum Uzalae Moderator, atque ob legationem ad Honorium anno ab hinc vicessimo summa cum laude obitam, tota Africa percelebris. Controversiae iudicium, & libelli interpretationem ab eo rogandam censuit Cœnobii Praepositus Valentinus: quamquam morarum impatientes Cresconius, & Felix talaria induerint, & Hipponem Augustinum ipsum, sui interpretem audituri, contenderint. Quæsitus factis fecit Evodius, cujus Rescriptum haecenus ineditum, ac situ putre, in Sancti Maximini Trevirensis Tabulario Sirmondus invenit. Secundum Augustinum sententiam tulit; ejus sensu, atque exemplo, quid de libero arbitrio sentiendum insinuavit; praecipites censores asperioribus verbis habuit; ac ne quod minus intelligentia assequerentur, facile reprehenderent, paucis admouit. Quo iudicio Launojus noster attonus est. De Evodiana Epistola fragmentum, Historiae Praedestinationis insertum capite 1. Honorabiles Fratres reculerunt nobis, quia nescio quae ibi quaestiones inter vos natae sunt, de libero arbitrio, & de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolumus esse contentiosum. Contentio enim perturbacionem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi arbitrii plenissimum affectum habuit homo primo procreatus, Adam dico. Inde dictum est: Infirmatus est in egestate vigor meus & lumen oculorum meorum non est mecum. Ad hoc recuperandum missus est medicus Salvator Christus; ut salvaret quod perierat, & curaret, quod vitiatum fuerat. Legant ergo Sancti Dei Majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum: & quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent ut intelligant. Reliquum Epistolae nobis Sirmondus invidit, seu quod parum emendatum esset, ut ait, seu forte, quod quidpiam domesticæ Scholæ minus propitium contineret. Atque hæc de Monachis Adrumetinis.

Nihil felicium Vitalem Carthagenensem in scenam Launojus inducit, alterum Augustinianae doctrinae reprehensorem. (Pag. 27.) *Vitalis Carthagenis Praesbyter, inquit ille, Augustino intimus, ac familiaris, talem, ac tantam ex ejus doctrina passus est offensionem, ut suam illi per litteras perurbationem significavit; illud etiam scripto denuncians,*

plura quam par esset, ab ipso divina gratia viribus adscribi. Dignum Palamone figmentum! Vitalem Augustino familiarem, nupiam legere contigit: datas ab eo ad Hipponensem Episcopum litteras, quibus suis illi sensus retereget, longe minus: imo ex ipso Augustinianæ ad eundem transmissæ Epistolæ prologo compertum est, Vitalis de divina gratia sententiam, seu verius hæresim putidissimam, Præsuli Hipponensi nonnulli ex aliorum relatione innotuisse (Epist. 217.) Cum de re mihi essent nunciata non bona, & rogavi Dominum, & donec mihi bona nunciarentur, ad hunc rogo, ut litteras meas, nec aspernante sumas, & salubriter legas. Et paucis interjectis: Quomodo dicis, quod audio te dicere? &c. Haud ita sane intimum, ac familiarem, qui suos nobis amice aliqua de re sensus aperuit, compellamus. At hæc Launoji caliditas fuit. Vitalem Augustino familiarem, & intimum commentus est, ut nonnulli ei in dicenda sententia auctoritatis accederet: scriptam autem ab eo Epistolam dixit, ut tanquam actor Augustini dogmatibus obtulisset, videri posset; quem contra, uti violatæ fidei reum, traduxit Sanctissimus Doctor.

Sed audi Vitalis Carthaginensis professionem, ut quos nobis adversus Augustinum, Ecclesiasticæ Traditionis testes conducit Launojus, detestetur: Quomodo dicis (Gratiæ vindicis verba sunt, eundem Epistolam 217. compellantis) quod te audio dicere ut recte credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a nobis, id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse? Et ad hoc, cum audieris, quid est ergo, quod ait Apostolus: Deus in vobis operatur, & velle, & perficere? Respondes, per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari, ut velimus, quas vel legimus, vel audimus: sed ei consentire, vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe illi, dicit, quantum in ipso est, ut velimus, cum nobis nota sunt ejus eloquia: sed si eis acquiescere volumus, nos, ut operatio ejus nihil in nobis proficit, efficiamus. Cui idcirco duodecim sententias, ad fidem veram, & catholicam attinentes proponit, quæ si subscribat, censuras Ecclesiasticas minuitur.

Atque hinc videas, quam constanti, ac fidenti animo, sua de gratia victrici, & gratuita prædestinatione dogmata proderet Augustinus, illibatæ doctrinæ conscientia erectus, ac pro imperio cum Vitali Carthaginensi agens; tanquam qui a Catholica fide desisteret ipse, non qui vice versa Augustinum violatæ fidei postularet.

CAPUT VII.

Gallorum, ac potissime Massiliensium in Augustinum censura, ab Launojo denuo recusa, honori, & gloriæ cedunt Sanctissimo Gratiæ vindicæ.

Africanos Augustinianæ doctrinæ admiratores, ut despiciat Launojus deprimitque, (quam ob rem jam a nobis exagitatus est) ita Gallos, ac potissimum Massilienses, ejusdem reprehensionem in cælum evehit, ac tantum non pronus adorat. In hoc campo spaciatur, ac prope delicias facit, dignus Ecclesiasticæ de divina gratia Traditionis investigator, quam ad nos utque per Pelagianos, ac Semipelagianos, tanquam sacri depositi custodes integerrimos ducit. Horum in Augustinum diceria, querelas, obtrusiones, censuras avide colligit: Prosperi, & Hilarii ad Sanctum Doctorem Epistolæ, quibus exciti Massiliæ motus enarrantur, a capite ad calcem exceri-

bit; non ut sanctissimis Discipulis obsecundet, ac recensitos ab iis errores detestetur, ac luceat; sed, ut Massiliensium querimonias instaret, easque nec supervacuas, nec cum levitate conjunctas ostendat. Quod quam sit Catholico Scriptore dignum, Ecclesiæ Principibus judicandum relinquo.

Non hic ego morabor supinas aberrationes, viro in veteri memoria, ut fuit, aut certe videri voluit, versatissimo minime condonandas. (Pag. 35.) Prosperum, perinde, atque Hilarium in Gallias accersit ex Africa, ubi tamen nunquam subsisterat Aquitanus. Eundem iltuch ab Augustino de industria submissum inuuit, ut Magistri doctrinam late diffunderet; cui tamen (Pag. 42.) ignotum se facio profiteretur, primis ipsis datæ ad eum Epistolæ verbis. Hilarium tandem de subortis Massiliæ turbis, Augustinum per Epistolam componentem, Arelatensem Episcopum vocat; cum ille laicus esset, iste jam tam Ecclesiæ regimini adnotus; ille discipulus; iste e Cenforibus unus. Istud, inquam, non moror, uti nec miror. Ecurr enim discipulos noscet, qui Magistrum tam turpiter ignoravit? Sed suscepti consilii snibus me contineo, quæque constat in Augustinum erroris accusationem propius attinent, unice refello.

Quocirca Launojo haud ægre dabo, Augustini doctrinam plures in Gallia turbasse, atque illos quidem non ima de plebe, aut solo capite censes; sed pietate, doctrina, ac dignitate præcipuos; Monachos scilicet, Cœnobiarchas, Presbyteros, & Episcopos. Haud etiam ibo inficias, doctrinæ duritiem cautos alios, alios novitatem, nonnullos plus nimiam sublimitatem, plerisque omnes minorem cum antiquis Ecclesiæ Patribus consensionem. Verum primo duntaxat conspectu tot illæ contentiones emersere, rebus ad severiores calculos nondum vocatis, quodque caput est, nondum audito Ecclesiæ judicio. Cæterum silentibus paululum turbis, antimedice ex pristina illa perturbatione revocatis, Ecclesiæ Gallicana interitino bello discissa in Augustini sententiam universa concessit; dum sua per vices fundentibus oracula Romanis Pontificibus Cælestino I. Hormisdæ, Felice IV. Bonifacio II. Pelagiani tandem erroris reliquias præfocavit ipsa; sacrosque secuta duces, Augustini doctrinam, cujus occasione tor ante excita turbæ, in Synodis Arausicanæ, & Valentiniæ transfudit in Canones. Quis autem de mota lite, ex initiis potius, primisque turbinibus statuat, quam ex decreta sententia? Non igitur, si quæ datæ in Gallis turbæ, reus tradendus est Augustinus; qui, & ea docuit, quæ, judicantibus demum Gallis, in Synodorum Canones transferunt; & omnem, quo turbæ flesterent, operam posuit, Libris de Prædestinatione Sanctorum, deque Perseverantiæ dono, intra breve spatium concinnatis: sed reprehendendi veniunt Massilienses, qui iisdem actus repugnantes, tumultus multo majores in Gallia conciverunt.

Tam prosperum, tamque Sanctissimo Gratiæ vindicæ gloriosum rerum exitum dissimulavit ex instituto Launojus, ut illum excitorum diffidiorum invidia oneraret. At id perperam, & incassum. Nos ne sua callido dissimulatores fraus luero cedat, universa ex ordine temporum sequentibus capitibus persequemur Summorum Pontificum, Conciliorumque judicia; quibus certo constabit, integram penes Augustinum stetit visioriam; ejusque doctrinam Gallorum censuris præcipitanter inultam, in Pontificum tandem oracula, in Synodorum Canones, in fidei regulam transiisse.

In-

Interim dum hanc spartam exequimur, vel ex ipsa Augustini, inter tot eruditorum adversantium coitiones, in sentiendo constantia, plane colligimus, quam optimo jure niteretur. Quamquam enim esset is mortalium modestissimus, nec nisi ex multorum consilio, ubi dubium suberat, calculum poneret; ea tamen animi fiducia, traditam semel de divina gratia, & prædestinatione sententiam, novis scriptioibus confirmavit; ut Semipelagianorum nec numero, nec sapientia, nec auctoritate moveretur. Quo ex capite, quantum Augustinianæ doctrinæ pondus accedat, intellexit, una cum Remigio Sanctissimo, doctissimoque Galliarum Antistite, Ecclesiæ Lugdunensis Libro de viribus Epistolæ capite 55. Augustinus nec tanta perturbatione, & per motione fidelium, ab intentione veracissime, & fidelissime doctrinæ suæ frangi potuit, aut revocari. Sed magis eos, & Scriptis suis in quantum potuit admonuit, & instruxit, & orationibus apud Deum premissis fideliter adjuvit, ut intelligerent, & agnoscerent, quam necessario, & quam salubriter, propter commendationem divine gratiæ, ejusdem prædestinationis veritas omnino & credenda, & prædicanda esset.

Unde vero tanta illa Gallicanorum Episcoporum Hipponensi initio repugnantium, & Semipelagianam factionem constantium turba, paucis edisseram: ne Augustinianæ Doctrinæ asperitati, ac novità, (quamquam has illi prætexerent) culpam Launojus adscribat.

Theodosio juniore imperante, & Valentiniano III. Collega Imperii designato, extremum ævi cardinem premente jam Augustino, Pelagiani non pauci sacras Galliarum, ac præsertim Provinciæ sedes occupabant. Hos ad bonam frugem perdurare tentant sapientissimi Principes, Patrolo Metropolitæ Arelateni dato mandatis, ut illos, nisi resipiscerent, Provinciis Gallicanis expelleret; Armato vero Præfecto Prætorio manus eisdem dare iussit. Legitur etiamnum Edictum Tom. 2. Conciliorum Labbei pag. 343. in hæc verba: Imperator Theodosius Augustus, & Valentinianus Cæsar, Armato viro illustri Præfecto Prætorio Galliarum. Diversos vero Episcopos nefarium Pelagianum, & Cælestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ Legis Antistitem præcipimus convenire. Quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi viderimus facultatem, errata correxerint, ... Gallicanis Regionibus expelli, atque in eorum loco Sacerdotes fideles subrogari: quatenus præsentis erroris macula de populorum animis terganur, & future bonum disciplinæ justioris instituat. ... Data vij. Idus Julias, Aquileja, D. N. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Cæsare Consulibus. Quod in annum æræ Christianæ 425. incidit, ante Massiliensium coitiones circiter quartum.

Qui pulsi Episcopi fuerint, quivè ad meliorem frugem redierint, nulla prodit historia. Verum, ut erat refractarium istud hominum genus, & summorum Pontificum Innocentii I., Zozimi, Bonifacii I. Synodorumque Africanarum judicis stare hæcenus detraherant; Imperialium tandem legum timore percussit, neve suis sedibus pellexerent, ita Pelagianam hæresim mitigarunt, ut in Semipelagianorum castra desisterent; satis sibi consultum arbitrat, & Imperatorum legibus obsecutum, si extremo repudiato errore medium quid saperent, suisque discipulis instillarent. Hanc Christiano Lupo, viro de Republica litteraria optime merito debemus observationem: (Opus. post. pag. 475.) Per Patroclum Arelatensem Episcopum, ac laudatam Valentiniani legem, correcti in Gallia Episcopi, reliquere discipulos eruditione, & pietate illustres: verum qui Pelagianis errori-

bus ita valedicerent, ut tamen in Sancti Augustini adversus illos scriptis quædam impræbarent.

Quot tamen numerosa factioni Hilarius, & Prosper momento temporis eriperint, ex binis Aquitani Epistolis discimus, si mutuo conferantur: Priori quippe Augustino inscripta anno 429. qui penultimus mortalis ejus contubernii fuit, paucos admodum divinæ gratiæ defensores in Gallis extitisse denunciabat: Nec facile quisquam, inquiebat, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidus amatores, tanto superiorum disputationibus ausus est contraire. Altera vero Rufino viro amissimo, aliquanto post destinata, (Augustino tamen etiamnum in vivis agente, quem magnorum meritorum senem appellat) plurimos ejusdem S. Doctoris sectatores fuisse, atque in dies accessionem facere, commonebat: In his ipsis locis, Prosperi verba sunt, in quibus adversus eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apostolicæque Doctrinæ, saluberrimis ejus disputationibus imbuuntur: & quotidie in membris Corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur. Tamest, ut sum optima fide, inficari omnino nolim, plurimos illos divinæ gratiæ integerrimos defensores, oppugnantium comparatione, paucos censei oportere; adeo Massiliensium factio primis illis initiis numero, & auctoritate vincebat.

Quid acceptis discipulorum Epistolis, ad Massiliensium querelas reposuerit Augustinus, geminis de Prædestinatione Sanctorum, deque Perseverantiæ dono vulgatis libellis, Launojus in pauca retulit, ac brevi pagina sagillavit; commentationes carpens, errores veros obrudens, haud melior theologus, quam historicus. (Pag. 51. 52. 53.) In quatuor Augustinianæ doctrinæ capitâ styllum exercet, non magno argumentorum apparatu velitando, sed pro summa, quam sibi retribuit in Republica Litteraria dictatura, censoria virga notando. Primum, quod reprobus a Deo tandem deseri doceat Augustinus. Alterum, quod lapsum hominem pristina libertate devolutum ostendat. Tertium, quod Christum pro solis electis mortuum opinetur. Ultimum, quod initium fidei, ipsamque in bono perseverantiam Dei donum esse, ex fuis omni retro ætate Ecclesiæ precibus, demonstrat. Quis hæc Theologi Parisiensis censuram dixerit, ac non verius insipientis Theologatris, qui ne summis quidem labris sacre doctrinæ principia degustarit? Ego quidem sic contra statuo; tertio demto capite, variis per se sensibus obnoxio, sed apud Augustinum profus innocuo, cætera non modo nulli patere calumniæ, sed ne tuta quidem fide reprehendi a quoquam posse.

Quod etenim primum attinet: quamquam Theologos inter, haud levis controversia vertatur, nun Deus in præcedentium scelerum poenam, nonnullos tandem homines deserat, summa, ut ajunt, desertione, qua non actionis tantum, sed & possessionis auxilia subtrahat; aliquo tamen desertionis genere, a Deo deseri reprobos, Scriptura disertè testatur, ac sæpe numero. Jeremia 51. v. 9. Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Psalmo 90. v. 13. Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum. Osæ 1. v. 6. Non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obruiscar eorum. Ibidem capite 4. v. 6. Oblita es legis Dei tui, obruiscar filiorum tuorum, & ego. Isaia 5. v. 5. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceviam ejus, & erit in concultationem; & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spina: & nubes mandabo, ne pluant super eam.

eam indrem. Ecclesiasticus 7. v. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille desupererit. Matthaei 23. v. 38. Ecce relinquatur domus vestra deserta, dico enim vobis, non me videbitis amodo. Joannis 8. Ego vado, queretis me, & in peccato vestro moriemini. Cum itaque reprobos a Deo deseri, simpliciter dixerit Augustinus, desertionis vero genus nequaquam expresserit; nihil aliud docuisse censendus est, quam quod sacris Literis continetur. Et vero dum statuit Tridentina Synodus Sessio 6. de Justificatione capite 11. Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi prius ab eis deseratur, an non istud alterum necessaria consecutio statuisse perhibetur, illos nimirum a Deo deseri, qui eundem priores deseruerint? Quovis tandem pacto desertionem illam exponere lubeat.

Omnibus ergo cachinnis excipiendus Launojus, qui, ut istud fidei caput, ab Augustino positum impetat, eas Scripturae phrasas ostentat, quibus Deus nullam personarum rationem habere dicitur, omnium ex aequo curam gerere, neminemque perire velle. Quis enim nesciat personarum delectum, cui vitium subest, Deoque idcirco indignum, non in gratuita beneficiis contingere, qualis est gratiarum distributio, aut negata, sed in debitis? Quis nesciat, aequam illam de omnibus curam, a Deo juxta Scripturae fidem, haberi solitam, ad generalis duntaxat, providentia beneficia pertinere, non ad gratuita specialis providentia, hoc est, praedestinationis bona, charismata, gratias, ac praesertim inestimabile finalis perseverantia donum, quod omnibus promiscue commune, citra haereticis erroribus nemo dixerit? Quis nesciat generalem, quae Deo insidet, salutis omnium voluntatem, nequaquam obesse, quominus speciali quodam titulo, fidelium, ac potissimum electorum Servator Christus Dominus afferatur? I. ad Timotheum 4. v. 10. Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium: ad quos nimirum uberiores effusis sanguinis fructus pertingunt. (Sess. 6. de Justificat. cap. 3.) Qua de causa a Concilio Tridentino pronuntiatum est, ita Christum pro omnibus esse mortuum, ut tamen non omnes beneficium mortis ejus recipiant.

Verum, quod addit hoc ipso in loco Launojus, Judam, tamen in electorum numero esse, eorumque ordine censeatur, quos Pater sibi dederat, aeternum nihilominus perisse, non cachinnis modo excipiendum venit, sed gravi erroris censura percussendum. Ut quid ergo, si perditionis filius, electorum tamen numero censebatur, Christus in Evangelio dixit, Joannis 6. v. 39. Omne, quod dedit mihi (Pater) non perdam ex eo? Et rursum cap. 10. v. 28. Et non rapiet eas (oves) quisquam de manu mea? Nescivit scilicet Augustini ineptissimum osor, Judam ad Apostolatam quidem gratiam vocatum a Christo, at non electum ad gloriam: mortalis contubernii socium, ac verbi ministrum assumptum a Domino, non inter oves perpetuo regnaturas, aeterna vocatione destinatum; qua forte neminem excidere, fides docet. Hinc dicitur Apostolus Epistola 1. cap. 2. v. 19. Ex nobis praedierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Paulus etiam, secundum electionem propositum Dei manere decrevit, ad Romanos 9. v. 11. Imo Christus postrema perfectionis acerbiter probaturus, hanc auxilium adhibuit Matthaei 24. v. 24. Ita, ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Qua loquendi formula significavit, fieri omnino non posse, ut extremo errore electorum aliquis seducatur. Quod hac invicta ratione demonstravit postmodum Augustinus, Lib. de Correptione, & gratia capite 7. Horum si quisquam perit, fallitur

Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitia humana vincuntur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.

Alterum Launojus in Augustinum censura caput, haud mitiori virga notandum est. Lapsum enim hominem pristina libertate devolutum esse, fidei dogma est, a Concilio, ac Pontificibus definitum. Sic Innocentius I. Epistola inter Augustinianas 181. ad Concilium Carthaginense: *Liberum enim arbitrium olim ille perperit, dum suis inconsultis utitur bonis, cadens in praeviationis profunda demersus est, & nihil quomodocumque exinde surgere possit, invenit, suaque in aeternum libertate deceptus, hujus ruinae jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus: qui per novae regenerationis purificationem, omne praeteritum vitium sui Baptismatis lavacro purgavit, & ejus firmans statum, quo relictus, stabilisque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negavit.* Caestinus I. seu quisquis alius, in celeberrimis Capitulis, data ad Praesule Gallicanum Epistolae adnexis, totius orbis veneratione consecratis: *In praeviatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidit; & neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis exerceret: (apud Labb. Tom. 3. pag. 473.)* Concilium Araucanicum II. Cap. 1. *Si quis per offensam praeviationis Adae, non totum, id est, secundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animam libertate illa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturae &c.* Et cap. 13. *Arbitrium voluntatis in prima homine infirmitate, nisi per gratiam Baptismi reparari non potest.* Et cap. 25. *Secundum supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & predicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut &c.* (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) Ac demum Concilium Tridentinum Sessio 6. de Justificatione capite 1. discrete pronuntiat, liberum arbitrium in praeviatione Adae extinctum quidem non esse, viribus licet attenuatum, & inclinatum.

(Pag. 52.) Clamat Launojus, pristinam libertatem, ex Pontificum laudatorum, Conciliorumque sententia, Baptismi saltem regeneratione rescari. At non advertit imprudens, duo primae libertate contineri, immunitatem scilicet a peccato, & immunitatem a penis. Priorem Baptismi regeneratione restituit, uti statuant laudati Pontifices, & Sacra Concilia, ita propugnat ubique passim, ac data opera Augustinus, qui originale peccatum sacro lavacro prorsus abtergeri decernit, ac docet. Alteram autem in ablutis, ad agonem residuum, catholica cum Augustino profitetur Ecclesia; quae secuta ex originali peccato altissima vulnera, proclivitate nimirum ad malum, ignorantiam veri, difficultatem recti, concupiscentiam perducem in renatis agnoscat, ac luget; eaque de causa jure medicinalis gratiae praesidium renatis ipsis, ac iustis necessarium proficitur, ut haereditaria juyetur infirmitas (quae Augustini doctrina est) utque cum omnibus suis erroribus, terroribus, & amoribus vincatur hic mundus. Ita Innocentius loco ante appellato: *Nam quavis redemisset hominem a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quomodocumque posset illum, & post ista corrigere, multa servavit; quotidiana praestat ille remedia, quibus nisi freti, consilique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* Necesso

esse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Caestinus Capitulis paulo ante laudatis: *Neminem etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit.* Concilium Araucanicum II. Cap. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Leo magnus Sermone 8. de Epiphania: *Hec sanctis causa est tremendi, atque metuendi; ne ipsis operibus pietatis clari, deserantur ope gratiae, & remaneant in infirmitate naturae.* Synodus tandem Tridentina Sessio 5. de peccato originali Canone 5. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel somitem, haec sancta Synodus statuit, & sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet. . . Sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur. Si quis autem contrarium senserit: anathema sit.*

(Pag. 52.) Viderit modo Launojus, num Ecclesiae, ac speciatim Innocentii, & Caestini iudicio damnatus ipse sit, qui hanc Augustini sententiam, ab illis ipsis Romanis Pontificibus damnatam efficit. Nihil quippe hic amissa primae libertatis nomine intellexit, quam amissum primae conditionis robur, residuumque in ipsis quoque renatis infirmitatem, potentioribus divinae gratiae praesidiis adjuvandum. Hinc Libro de Correptione, & gratia cap. 12. *Nunc postquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Et Libro 1. ad Bonifacium capite 2. *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia.*

Tertium Launojus censura caput virum prodit, nedum in Augustiniana doctrina, verum etiam divinis in Litteris peregrinum prorsus & hospitem. An non enim electorum duntaxat salutem, certo quodam sensu, velle seinnuit Christus Dominus, dum inquit, Joannis 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedit mihi?* Est enim oratio voluntatis interpretis. Si ergo, quae passim hoc de argumento literis prodidit Sanctissimus Doctor, mutuo contulisset, reconditionem propositionis in invidiam tradidit sensum, nulli censura obnoxium agnovisset. Licet enim, ubi celebre Apostoli dictum, *Deus vult omnes homines salvos fieri, (1. ad Tim. 2. v. 4.)* de efficaci voluntate interpretatus est, de solis praedestinationis intelligendum definitur saepe numero; ut nimirum Semipelagianos, universalis, & indiscriminatae gratiae defensores, eo insigniter abusus oraculo, felicius confutaret; illosque, quo se ultimo recipiebant vallo desiceret: ubi tamen de inefficaci (quam antecesserunt, Damasceno duce, Scholae nuncupant) sermo fuit, Christum pro universis hominibus, ac pro ipsis etiam reprobis, divina destinatione mortuum apertissime docuit. Enarratione in Psalmum 95. ea Prophetae Regis verba expendens, *Judicabit orbem terrae in aequitate, hanc exercendi in omnes iudicii rationem subiungit: Non partem iudicabit, quia partem non erit. Totum iudicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Enarratione 2. in Psalmum 68. pro Juda traditorum solum Christi Sanguinem scribit: *Proiecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat.* Eundem pro Judaeis incredulis solum agnosco

scit, Sermone 2. de Symbolo ad Catechizandos capite 8. ubi Servatorem in extremo iudicio, perfidam gentem his verbis compellentem inducit: *Ecce hominem, quem crucifixistis, ecce Deum, & hominem, in quem credere nolulistis. . . Agnoscentis latus, quod pupugistis: quoniam, & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Libro 6. contra Julianum capite 4. pro iis omnibus mortem a Christo oppetitam insinuat, qui in Adam mortui fuerant. Expendens namque illud Apostolicum, *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ita virum Pelagianum exagitat: Ex hoc probavit Apostolus, omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus.* Impingo, inculco, inferio recusanti: accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. *Vide quia consequens esse voluit, ut intelligatur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.* Alia id genus ferme sexcenta Sanctissimi Praesulis testimonia congerere, haud esse operosum, si in has de divina gratia controversias vellemus ingredi. Pauca haec comprimendae Launoji dicacitati abunde sufficiunt.

Ultimum tandem, quod attinet censurae caput, si eo referatur, ut erroris, ac novitatis incusetur Augustinus, quod initium fidei, ac ipsam in finem usque perseverantiam singulari gratiae tribuerit, haereticum praefert patenterissimum, ab Caestino I. & Bonifacio II. a Concilio Arauciano, Valentiniano, Tridentino in Semipelagianis distincte damnatum: si vero eo collimet unice, ut Augustini argumentum, ex publicis Ecclesiae precibus petium, quo istud fidei caput contra Massilienses adtruebat, cavilletur; audacem tricandi libidinem prodit. Quorsum enim, amabo, Ecclesiae fidem ex ejusdem precibus minime colligimus? An non legem credendi statuit lex supplicandi? An non stultum orare, ut facias, quod in tua positum est potestate? Censuram ergo distringat audacissimi Aristarchus, in Carthaginensis Synodi Patres, hoc idem ex Ecclesiae precibus sibi barum argumentum usurpantes, in sua ad Innocentium I. Epistola 175. *Si enim haec possibilitate naturae, & arbitrio voluntatis, in potestate sunt constituta; quis non ea videat a Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quae naturae nostrae iam ita condite sufficientibus viribus obveniunt? Distringat in Innocentium I. eodem momento usum, dato Rescripto ad Carthaginensis Synodi Patres, inter Augustinianas Epistolas 181. *Adjutorium quotidianum nos egere negare non possumus. Hoc enim, seu bene vivimus, provocamus, ut melius sanctiusque vivamus.* Distringat in Caestinum, cui adnexa Epistola Decretali Capitulo saepe adjudicat. Haec enim octavo Capitulo continetur: *Cum sanctorum plebium Praesules mandata sibi legatione fungantur, apud divinum clementiam humanis generis agunt causam, & tota secula Ecclesia congregante, postulant, & precantur, ut infidelibus donec fides, ut idololatras ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Judaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici Catholicae fidei perceptione respiciant, ut Schismatici spiritum redire obvaritatis accipiant, ut lapsis penitentiae remedium conferatur, ut denique Catechizandi ad regenerationis Sacramenta perducat, caelestis misericordiae aula referetur. Haec autem non persuasorie, neque inaniter a Domino peti, verum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos eratos de potestate tenebrarum, transferat in regnum filii charitatis suae, & ex vasis ira faciat vasa misericordiae. Quod adeo totum Divini operis esse sentitur, ut haec efficiendi Deo, gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro illuminatione talium, vel correctione referatur.**

(apud Labb. Tom. 3. pag. 475.) Nempè Gratia vindicem imitatus Cœlestinus, totum divini muneris esse colligit, quia totum Ecclesia Catholica publicis supplicationibus precatur a Deo.

Sed censura ineptissima extremam manum imponit Epilogus, dignum patella operculum. Audite viri Theologi, atque hinc de Augustini sententia iudicium ferre discite (Pag. 52. & in Prelus. P. 2.) Satis superque significat Augustinus, minus sibi de huiusce sententia veritate certum esse: quippe, qui ab ea se recessurum spondet, si ad examen vocata falsi convincatur. Quem Augustini locum in oculis censor habuerit, dum hæc scriberet, haud satis perspectum habeo: nullum enim pro more suo notat in margine; nullaque distincta sanctissimi Præfatis verba ponit. Ad caput 21. Libri de Dono perseverantiae fortasse censuram refert, ubi hæc obiter habet humillimus Pater: Neminem velim sic amplecti verba mea, ut me sequatur, nisi in eis, in quibus me non errasse perspexerit. Verum id, non de eo, quod expendimus in præsentia dogmate, singulariter dictum est, tanquam certa ipsi ea de re sententia non esset: sed generatim de quibuscumque dogmatibus, quorum recognitionem tunc temporis adorabat. Unde subiungit e vestigio: Nam propterea nunc scio Libros, in quibus Opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficenter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cepisse. Cæterum Augustinum gratiæ prædestinationis dogma, cuius occasione tot illi turbas Massilienses exciitavit, inter indubitata, certissimaque fidei dogmata reposuisse, nemo negabit, qui extremas ejusdem lucubrations leclitavit. Libro de Correctione, & gratia capite 1. Hanc fidem, que sine dubio vera, & Prophecia, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo &c. Libro de Dono perseverantiae capite 19. Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Capite 20. Hæc est prædestinationis manifesta, & certa Sanctorum; quam postea diligentius, & operosius, cum jam contra Pelagianos disputarem, defendere necessitas compulit. Et capite 23. Prædestinationis huius fidem, que contra novos hereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. Libro vero de Prædestinatione Sanctorum cap. 4. Ecce quare dixi superius, hoc Apostolice præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum: cum de hac re aliter saperem. Viden quam certo, firmiterque ea Augustino sententia infideret? (Pag. 53.) Num autem huius inventor extiterit, quod illi Launojus exprobat, non est huius instituti, & otii disputare. Ea de re postremis capitibus sermo erit.

Notare hic satis fuerit, audacissimum Aristarchum, iniquiorem multo in Augustinum simul, & Prosperum virgam exercuisse, dum huius ad Rufinum Epistolam ad crimum exegit. Hunc etenim in Magistris sui defensionem perperam ingressum, susceptoque munere pessime functum obtendit, quod ille a gemino errore purgari non possit: (Pag. 59. & seq.) priori quidem, de sublato, ut ait, voluntatis arbitrio, dum necessitatem in lapsu homine posuit, & bene agendi cum gratia, & male agendi sine gratia; factamque de libertate necessitatem apertissimis verbis asseruit. altero, de immoto aeternæ prædestinationis decreto, dum alios ita electos ad vitam, alios in perditionis massa ita relictos propugnavit, ut definitam sortem nemo unquam eludat. Verum quod primum attinet, si ea loquendi formula Sanctissimo Doctore familiares, de quibus jam aliqua diximus capite 2. ad quintam, & sextam Propositionem

tertiū indiculi, ab errore vindicari non possunt, nec in rectam sententiam accipi; eodem laborant vitio Pontificis, Synodique; queis Sanctissimi Doctores sensum, iidem ipsis, ac etiam dæmonioribus in speciem verbis, reddere libuit. Innocentius I. in Rescripto ad Carthaginensis Synodi Patres: Necessè est, ut quo auxiliante vincimus, eodem non adjuvante vincamur: & reliqua, que paulo supra laudata sunt. Gelasius in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos: Homo liberum arbitrium corrupit, sedavit, ac perdidit. Concilium Araucanicum contra Pelagianorum reliquias celebratum Canone 13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Et Canone 22. Nemo habet de suo, nisi mandatum, & peccatum. (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) Quod alteram criminacionis partem attinet, Semipelagianum Censorem verius olet, quam Theologum Parisiensem, Catholice quippe fidei dogma a dilecto Discipulo, a Gentium Apostolo, a Christo ipso, locis, & paulo ante, & capite 2. (Prop. 6. Indic. 1.) laudatis, disertissime traditum, erroris nota innuit, in verum, ac spissum errorem prolapsus ipse. Adeo tricanti libido hominem audacissimum in transversum egit.

Cætera incondita reprehensionis capita missa facio: seu quod aliis huius nostræ lucubracionis partibus confutata sint, seu quod cachinnis potius, quam seria animadversione digna videantur. Unum turda aure præterire non possum, quo Prosperum Sanctitatis gloria non minus, quam eruditionis laude clarissimum ridet, ac ceu falsum Prophetam ludibrio vertit, quod hanc Rufino suo, ad calcem Epistolæ, spem bonam fecerit: Confido ego in virtute misericordie Dei, quoniam hæc contradictio (quam scilicet Augustini Doctrina in Galliis patiebatur) sicut in aliis mundi partibus, ita & in his regionibus conquiescet: ut predicatio summi hoc tempore in Ecclesia viri, etiam ab his, a quibus ad præsens repellitur, adjuvetur. Non Prosper Propheeta malus, qui quod re ipsa tandem evenit, certo pervidit, sed Launojus derisor pessimus; qui rerum exitum, aut supina nimis ignorantia nescivit, aut dolosa nimis calliditate dissimulavit. Gravi enim, ac diuturna contentioni, que Gallos Episcopos centum, & amplius annos exercuit, finem tandem attulit Ecclesia ipsa Gallicana, in Concilio Araucanico, & Valentino congregata: totam de gratia, & libero arbitrio controversiam, ex Sancti Augustini sententia composuit; ejusque doctrinam, cui hæctenus contradicium erat, editis Canonibus consecravit, uti plenius Capite 13. demonstrabimus.

CAPUT VIII.

Launojana sabella, de turbis in Africa, & Italia excitatis, Augustiniana doctrina occasione, statim a Sancti Doctoris obitu, depellitur, confutatur.

PERgit cepto Launojus: utque Augustinum recens ad superos vocatum constanti invidia oneret, novos ab ejus Discipulis motus in Africa concitatos comminiscitur. Fabulatorum audire præstat, (Pag. 64.) commenta sua temere venditantem, capite 6. commentitiae Traditionis: Sublato e vivis Augustino, antequam doctrinam suam Afrorum animis alte inferuisset, supremam operi manum admovere tentavit addidit discipuli. Magistri ergo doctrinam in Africam inducere conati sunt; quod illam, ut credere par est, veram, certamque opinarentur. Verum Pelagiani, quibus per-

spectum erat, eam nibilo sua meliorem esse sanioverunt, intercessere pro viribus: palanque donacione, illos a vera Ecclesie Doctrina procul abire &c. . . (Pag. 65. 66.) Tot illas criminaciones, infamande Augustiniane Doctrina pares, ut eluderent sublati paulo ante Magistris Discipuli, ejusdem elucidationem adornarunt, Libro Hypognosticon evulgato; quo nedum Magistris doctrinam, quantum in illis fuit, purgare tentarunt, sed partis etiam adverse dogmata, ut par pari redderent, oppugnarunt, &c.

Gratias Launojo maximas. Augustini salva res est: quandoquidem si quos doctrina ejus in Africa motus excivit, non alios nisi Pelagianos passa est adversarios. Bonum omen. At in hoc turpissime falsus est Traditionis investigator, quod statim ab Augustini obitu excitis in Africa motus dicitur, gratiæ prædestinationis, & gratiæ se ipsa efficacis occasione, que Gallos, ac potissimum Massilienses adeo male torserat: eoque rerum concursu ad ea tutanda dogmata, Libros Hypognosticon elaboratos effutit. Si quæ enim tunc temporis in Africa data turbæ, eæ non istarum, de quibus hic agitur, Questionum, sed puri, putique Pelagianismi occasione emerere: dum Julianus, Florus, Orontius, alique Episcopi Pelagiani, ex recenti Augustini obitu audaciores, Nestor novum, atque affine dogma de Christo docenti, suppetias tulere; nec modo Africam, sed totum penè Orientem commoverunt: quibus sedangis turbinibus Ephesina Synodus iudicata est. Neque vero unquam hinc caput extulere Pelagiani, (quos Augustini discipulis Launojus opponit, & Ecclesiasticæ, quod magis detestere, Traditionis testes obtrudit) sed communi cum Nestorianis sententia inulti sunt. Etenim statim atque Legati Apostolicæ Sedis, venerandis Synodi Patribus retulere, que Romæ contra Pelagianos decreta essent, uno ore in illos lata sententia est, ut ex ipsa Synodi ad Cœlestinum Epistola perspicuum est: Porro autem perleclis in sancta synodo commentariis a Actorum in depositione impiorum Pelagianorum, & Cœlestianorum, Cœlestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii, & eadem cum illis sententiam, que a pietate tua de ipsis decreta, & constituta sunt, iudicavimus, & nos ea solida, firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuvimus, eos pro depositis habentes. (apud Labb. Tom. 3. pag. 1195.)

Libri autem Hypognosticon, nec Augustino paulo ante sublato, nec gratiæ prædestinationis, gratiæque victicis vindicandæ causa, nec a fido Augustini discipulo sunt adornati. Enim vero, quo tempore lucem aspexerint, non una eruditorum circumfertur opinio, nemo tamen accedit Launojo. Hos anno circiter 419. ante Augustini obitum undecimo, a Sixto Ecclesie Romanæ Presbytero editos conscribit Garnerius, eruditus Marii Mercatoris Interpres; quo necdum tempore data erant in Galliis turbæ. Imo ante annum 418. a Mario ipso Mercatore adornatos opinatur Dupinius, in notis ad Tomum 10. Operum Sancti Augustini: sexto, ut minimum, vertente sæculo, elaboratos alii volunt, fopitis jam sedatisque Galliæ turbis; quod ex Gennadii, aliorumque sæculi 5. Scriptorum silentio colligunt. Quocumque porro res cadat, Launojus sædi anarchonismi revincitur, qui eos Galliæ turbarum occasione, & sublato paucis ante diebus Augustino, editos comminiscitur. Eisdem adversus purum, putumque Pelagianismum elaboratos, res ipsa clamat. In quinque enim Questionibus eventilandis, queis integra stabat hæresis Pelagiana, totus est Auctor. 1. Adam sine peccasset, sine non peccasset, moriturum fuisse. 2. Peccatum Adæ ne-

minem nocuisse, nisi solum ipsum. 3. Possè bonum per liberum arbitrium, tanquam per se sibi sufficientem, implere, quod velit; vel etiam meritis operum a Deo Gratiam unicuique dari. 4. Libidinem naturale in homine esse bonum, nec in ea esse, quod pudeat. 5. Parvulos non trahere originale peccatum, neque perituros a vita aeterna, si sine Sacramento Baptismi, ex hac vita migraverint. Tantumque abest, ut vindicandæ gratiæ prædestinationis studio, stylum acuerit, (quod Launoii somnium est) ut eam potius impugnarit Libro 6. capite 2. ubi illam ex operum prævisione suscipit. Prædestinatio, inquit ille, a prævidendo, & præveniando, vel præordinando futurum aliquid, dicitur: & ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia, fuit semper & est; quidquid antequam sit, præscit, & prædestinat: & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Ideo, & Apostolus: nam, quos præcavit, inquit, & prædestinavit. Sed non omne, quod præscit, prædestinat; mala enim tantum præscit, bona vero, & præscit, & prædestinat. Quod ergo bonum est, præscientia prædestinat, id est, priusquam sit in re, præordinat. . . . Quia vero iustus, & misericors Deus, præscitque est futurorum, ex hac damnabili massa non personarum acceptione, sed iudicio aequitatis suæ irreprehensibili, imo incomprehensibili, quos misericordia gratuita præscit, præparat, id est, prædestinat ad aeternam vitam: ceteros autem pœna, ut prædixi, debita punit; quos ideo punit quia quid essent futuri, præscivit, non tamen ipse secit puniendos, vel prædestinavit, sed tantum, ut dixi, in damnabili massa præscivit. Quare sanctissimi Præfates, iidemque Augustiniane doctrinæ studiosissimi, Remigius Lugdunensis Libro de tenenda Scriptura veritate cap. 9. & Prudentius Triacastinus Libro de Prædestinatione capite 14. Libros Hypognosticon, Augustini sensibus, imo Catholice sinceritati manifestissime adversos pronunciarunt; Hincemarumque Remenium Archiepiscopum, quod ejus, ad dicimendas gratiæ controversias, auctoritate nitetur, durius exceperit.

Sed tædet, pigerque in tam fupinis aberrationibus castigandis operam ludere. Quare relicta Africa, Launoii vestigia prementes, & calcem calcere tentantes Italiam remeamus: ut, quas illic Augustiniana doctrina occasione excitatas turbas observat, intructa in moliores questionem, diligentius expendamus. (Pag. 71. 72.) Excitatorum itaque in Italia turbinum testes producit fervidus Actor, nonnullos Presbyteros Genuenses, ex Libro de Prædestinatione Sanctorum scandalum passos: qui doctrinam, ut ait, novitate commoti, Prosperum transmissis excerptis convenire, ut, quas patiebantur difficultates, eximeret. Harum potissimum in eo postam notat Launojus, quod prædestinationem bonorum operum præscientiæ innixam docuisset quondam alias Augustinus; cui, ut satisfaceret, id reposuerit unum, Doctorem Sanctissimum nova revelatione perfusum, pristinum errorem deposuisse. Quod ille, pro sua in utrumque pietate, ac religione, cachinnis excipit, & augendis rixis, ac moribus aptissimum dicit.

Fidem tuam, Launoj. Ergo quia unus, & alter (vix enim numerum faciunt tui illi Presbyteri Genuenses, Theodorus, & Camillus) quas in intelligenda Augustini sententia difficultates patiebantur, simpliciter narrant; seque ab eruditissimo tanti Doctoris Interprete doceri, humillime postulant, exciti tota Italia, turbines dici possunt? Nihil quippe illi, de excitis Genuæ moribus significant, datis excerptis; nihil obijciunt in oppositum; nullam inductæ novitatis (que Launoii calumnia est) dicam affricant:

(Prosper, in Prol. Resp.) sed nuda doctrina capta, quae minus intelligentia assequantur, explicanda transmittunt; quod plus Prospero, quam sibi, ad hoc introspectenda esse ingenui, certo sciant.

Aquitani autem Responsum, de pristino Augustini errore, sub Episcopatus initium tandem deposito, quisquis rider, ridendus, & ipse est. Equid enim tam rationi consentaneum, quam extremam doctoris sententiam, diuturno, ac pertinaci studio quaesitam, quotidiana cum haereticis confutatione probatam, animoque tandem imbitam, pristinis, subitisque praedictis antepone-re? Quid ea doctissimi Aquitani ratiocinatione sapientius, quidve firmitus? Nec iusta, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, quia bujus viri scientiam tot incrementorum profectibus edifica-tam, tot amorum studiis expolitam, ad adole-scentie rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur haereticis, quod inter initia conversionis suae imperite senterat, quam prodesset Catholicis, quod Pontificali diligentia veritas revelarat: merito illos hoc praedictio uentus, & in his, quae dudum abdicata fuerant immorantes, pii Doctoris gravitas notat; quod, qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum ejus eruditione proficere. Certe si quos primum errores professus fuerat Augustinus, posterioribus sententiis, maturo licet studio imbitis, anteponendos Launojos existimat; Manichaeam haerem Sancti Doctoris suffragio confir-mabit: huic etenim luto haerent primum.

Neque vero, dum revelatum Magistro suo, cum primum sacras insulas induit, gratuita ad fidem vocationis dogma significat Divus Prosper, privatam revelationem, per visiones, & infomata factam intelligit, quales occitantibus, ac etiam dormitantibus fiunt, erroribus plus nimis obnoxia; sed factae divinis in litteris revelationis notitia, novo studio, & accuratori meditatione comparatam, Deo patre luminum abundantius aspi-rante: quo sensu ab Apostolo scriptum legimus, ad Philippenses 3. v. 15. Si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Hoc autem revelationis genus ridere, cachinnis excipere, & in statuendis fidei dogmatibus periculosum vocare, insolentissimae dementiae est, Pontificali diligentia, inquit Prosper, non occitantibus, veritas revelata, Augustinus autem Libro de Praedestinatione Sanctorum capite 4. Hoc Apostolico praecipuo testimonio (quid habes quod non accepisti?) etiam me ipsam fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus, in hac Quaestione solvenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit. Et Libro de Dono perseverantiae capite 20. Haec est praedestinatio manifesta, & certa Sanctorum; quam postea diligentius, & operosius, cum jam contra Pelagianos disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque haereses, inivisse Ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura Divina, quam si nulla talis necessitas cogere-t. Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus praedestinatio commendata est, copiosius, & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagianum dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod quid est aliud, quam gratiae omnino negatio? En factam Augustino revelationem, seu verius datam a Deo revelationis sacris in Litteris factae notitiam; non inertem, non dormitantem, ut insulso derisorio visum est, sed sacros codices diligentius meditanti: eo potissimum aspirante numine, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Jacobi 1. v. 17.

Pertinaci divinarum Litterarum studio, con-sultationem addidit Sanctissimus Praeful, cujus

nobis fidem locupletissimam facit Aquitanus Di-scipulus ad Excerpta Genesim, Magistrum trita, ac futili criminationi respondentem inducens; Se antequam cognosceret gratiae veritatem, & antequam regenda praeponeveret Ecclesiae, in hac opinione ignoranter errasse: sed in ipso Episcopatus sui exordio, a sanctae memoriae Simpliciano Medio-lanensi Antistite, de Jacob electione, & de Esau re-jectione consultum, totam quaestionem ad hos gemi-nos pertinentem, sagacitate diligentia ventilasse; & omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agno-visse, quod electionem gratiae nulla merita humana praecedant; & quod fides, unde incipiunt omnia merita, donum Dei sit: ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod vertribatur, antevenit. Qua quidem agendi ratione compertum est, nihil ab Augusto praetermissum, quo ignoratam haereticus veritatem assequeretur.

Ceterum Launojum nedum inficetum derisorium habemus, sed violatae Catholicae fidei rem de-prehendimus, Summorum Pontificum, Sacrorum-que Conciliorum definitionibus praedamnatam. Res patet ipsa per se se. Augustinus enim sub ipsum conversionis initium, gratuita praedesti-nationem, non ad gloriam modo, verum etiam ad initium fidei pertinebat: ipsamque Evangelicae praedicationis confessionem, (qui Semipelagianus error est) naturae viribus, & conatibus ad-scribebat: Neque enim fidem, ait ille Libro de Praedestinatione Sanctorum cap. 3. putabam Dei gra-tia praeveneri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non praecederet praecognitionem veritatis. Ut autem praedicatum nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta. Post-modum Ecclesiae regimini adnotus, novaque lu-ce perfusus, totum divinae gratiae tribuendum agnovit, fidemque Dei donum esse constantissime propugnavit. Semipelagianorum igitur errorem probare convincitur, qui summo gratiae vindictae mutata tandem sententiam exprobrat, & negli-git tunc demum Ecclesiasticae Traditionis inca-sat. Quis porro Theologum Parisiensem, Roma-norum Pontificum, Conciliorumque Decreta aut ignorasse, aut contempsisse, non miretur; quae haec ipsa Augustini sententia extremis operibus vindicata, fidei regulis inscripta est; prior vero ante Episcopatum asserta, censuris inusta? Quis commentitiam Traditionem ad arbitrium, ac praepostere confarinatam, explicatissimis Felices IV. & Bonifacii II. Rescriptis, Conciliorumque Arau-sinensium, Valentini, ac Tridentini Canonibus ante-poni non aere ferat? Equidem Massilienses venia digni censentur, quod ea aetate temporum, initia vocationis, & fidei, conatibus voluntatis adscriberent, qua necdum Augustini sententia in rem definitam abjerat. At excusationem Launoii audacia non habet, qui lato ab annis ferme mil-le ducentis extremo Ecclesiae judicio, praedamna-tum errorem, ficticiae Traditionis obtentu, in scenam inducit, veteresque in Augustinum crimi-nationes nobis occentat.

CAPUT IX.

Caelestini I. Rescriptum ad Gallos Episcopos, a Prospero, & Hilario, ad Augustinianae doctrinae commendationem, impetratum anno 432. a Lau-noii technis defenditur.

Celeberrimum ad Gallos Episcopos Caelestini I. Rescriptum, quo nullum ad Augustinia-nae doctrinae commendationem illustrius, suis ut arti-

artibus, & officiis Launojos elidat, Prosperum, & Hilarium, qui ejus scribendis transmittendique auctores accesserant, putidis calumniis onerat; fabuloseque fabulis nequit, teste nullo, auctore nullo, sed omnia fabricatus ingenio. (Pag. 74. & seq. & in Prolus. P. 3.) Sanctissimos, doctissi-mosque Augustini Discipulos, eluendis de violata fide Massiliensium criminationibus impares, ac de impendente doctrinae suae damnatione sibi metuentes, arrepto Romam itinere, Pontificis animum occupasse, non solum inaudita audacia comminiscitur; verum etiam distincta illis in ore verba ponit, qua Pontifici maximo fecerint, dum suam, ac Magistri paulo ante et vivis erepti causam orant: Nempe, si penes illum fides est, Sanctitati suae significarunt, perperam Augustinum a nonnullis, tanquam veritatis, ac fidei limites praeteregressum traduci, cum is nusquam haereticus audisset, aut erroris suspicione asperus esse; sed in Catholico-rum Magistrorum numero semper habitus. Subjun-xere, illum profundiores, difficiliorisque Quaestiones, quarum occasione erroris accusabatur, eo duntaxat consilio latius pertractasse, ut haereticis feliciter ob-stretet. Laudes, quibus Romani Pontifices Augustinum ornauerunt, in memoriam revocant. Sicque vindicato Magistro, Caelestinum supplicibus verbis orant, ut amulis obrectatoribus, erroris illi nota-inventibus, silentium indiceret. Qua orandi calliditate effectum ait, ut omnia pro voto impetra-rint.

Quis Launojum sacro folio, dum suam Hila-rius, & Prospero causam agerent, propius aditu-tum non crederet, ut distincta supplicum verba exciperet, scriberetque tabellis? Ad insulsa, ine-paque fallacia illa fuit, ut quae, dato ad Gallos Episcopos Caelestini Rescripto, continetur Augu-stinianae doctrinae commendatio, non tam summo Ecclesiae Hierarchae, quam insipientibus discipulis tribuatur. Equis, quae, ita se se cucurbitam dabit, ut putet Pontificem juris, & aequi tenaci-ssimum, non suos, sed supplicum sensus lato decreto inseruisse, sententiamque partis dissidentis ore pronunciasse? Quae enim Prospero, & Hila-rio, Magistri causam orantibus verba Launojos affingit, totum pene Caelestini I. iudicium con-stant. Augustinum (inquit ille dato rescripto) sancta recordationis vivum, pro vita sua, atque me-ritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sine sine suspitione saltem rumor asper-sit, quem tante scientiae olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meo decessore habebatur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote qui ubique cunctis, & amori fue-rit, & honori. Unde restitatur talibus, quos male crescere videmus. Nefas est haec pati religio-sas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari: quamvis maneat bos beatitudo promissa, quicumque probantur persecutio-nem propter justitiam sustinere. Quibus quid promissat Dominus futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solumum (nimirum Pro-speri, & Hilarii) quando universalis Ecclesia qua-cunquae novitate pulsatur. Intelligamus haec ipsa vobis, quae nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silen-tio, de tali re in posterum quereba cessaverit. Tum in subjectis capitulis, quae Caelestini pariter esse Launojos existimat. Nonnulli, qui Catholico nomi-ne gloriantur, in damnatis haereticorum sensibus, seu pravitate, seu imperitia demorantes, piissimis Disputatoribus obviare presumunt; & cum Pela-gium, atque Caelestinum anatematizare non dubi-ent, Magistris tamen nostris, (Augustino nimi-rum, & suis) tanquam necessarium modum excess-erint, obloquuntur. Profundiores vero, diffici-

lioresque partes incurventium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt; sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus ad-sistere.

Alio ex capite Launojos duo miscetum in mendacio tenemus: Caelestinum enim, quae ex Prosperi, & Hilarii narratione noverat, Massiliensium scilicet errores, querelas, ac motus, ab iis aperte distinguit, quae ex propria sententia, certoque judicio, de Augustini doctrina pronun-ciat. Illa ex Oratorum duntaxat expostulatione se didicisse, diserte significat: Filii nostri, inquit, praesentes Prospero, & Hilario, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio qui-bus Presbyteris illic licere, qui dissensionem Ecclesiarum studeant, sunt apud nos profecti, ut in-disciplinatas quaestiones vocantes in medium, perniciter eos DICANT predicare adversantia veritati &c... Desinat, SI ITA RES SUNT, incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Ita vero, ex certa, propriaque notitia; ut laudata paulo supra verba demonstrant: Sem-per habuimus &c... Tante scientiae olim fuisse meminimus &c. Ac re ipsa quidem Augustinum viventem noverat Caelestinus, atque in paucis charum habuerat: fueratque inter eos litterarum commercium, etiam quo ex tempore in sacrum rerum fastigio locatus est; ut ex 18. 192. & 209. Augustini Epistolae notum est. Non ergo Prosperi, & Hilarii denunciationibus opus erat illi, ut de amicissimi quondam Antistitis doctrina iudicium ferret, amuloseque obrectatores atero-no silentio damnaret.

Videndum amodo, an (quod toties Launojos ingerit) Caelestinus nihil de gemialis illis Augu-stinianae doctrinae capitibus, illorumque confes-sionibus pronunciarit, quae novitatis, & erroris ab Semipelagianis notabantur: nunve ea doctrinae capita, profundiorum, difficiliorumque Quaestionum nomine censeantur, quae uti contemnere non est ausus Romanae Ecclesiae Pontifex, illorumque confes-sionibus pronunciarit, quae novitatis, & erroris ab Semipelagianis notabantur: nunve ea doctrinae capita, profundiorum, difficiliorumque Quaestionum nomine censeantur, quae uti contemnere non est ausus, erro-ris petulenter infimulat. Quandoquidem autem istud Argumenti genus in nostra Divinorum Au-xiliorum Historia, sicut pertractavimus, aliorum scriptorum occasione, qui ea Caelestini Epistolae clausula pariter abutuntur; pauca inde delibabi-mus, ac praesenti accommodabimus instituto.

Imprudenter in primis aleam jacit Traditionis investigator, qui e re proflus incerta, certum, invictumque in Augustinum argumentum exerere sibi putat. Eam quippe Capitulum clausulam, de profundioribus, difficilioribusque quaestionibus, uti, & ipsa Capitula, Caelestini re ipsa non esse, contendit Criticae scientiae peritorum bona pars, eaque citra ullius injuriam, nobilissima: Baronius ad Annum 431. in Annotibus, eruditissimus bonae memoriae Cardinalis Henricus de Noris in Vindictis, cap. 7. Laurentius Surius in Historia. Sa-cra, Gerardus Vossius Libro 1. Historiae Pelagianae cap. 30. gemina Conciliorum Editionis Colo-nien-sis, atque Sixtinae Curatores, Pascaus Quoestellius in Notis criticis ad Opera Leonis magni, Franciscus Suarez Prolegomeno 6. de gratia cap. 1. num. 11. Jacobus Sironodus Tomo 4. de Historia Praedestinatio-nis, Philippus Labbeus in Notis, Dupinius in Bibliobeca. Quibus omnibus visum est, Caelestini Rescriptum in hac verba defini-re: Dominus incolomes vos custodiat, fratres Ob-arrissimi: caetera, quae sequuntur fidei Capitula, si-mul, & clausulam, aut Leonis esse, qui tunc Caelestino ab Epistolae erat, aut Prosperi, aut